

monte Adoreo; Gallum, Marfyam, Mæandrum. Vult autem significare, eos fluuios auri ramenta deferre. Aurum Callaicū celebrat Martialis, Dalmaticum Silius, à Bessis accolis fossum diuus Paulinus, Colophonium Aristophanes in Cocalo. Indicū Sophocles in Antigona: Lydium Phrygiumq; Euripides in Bacchis. Sophoclis interpretes Indicum vocat ἤλεκτρον, ἢ καὶ χρυσόν: sed aliud est electrum, aliud aurum obryzum. Indi suos metallicos, μύρμηκας appellârunt: vnde fabulis locus datus est mirificis: his etiam alas affinxerūt propter assiduitatem laborum: & raptu fuisse eo potiendum narrant, quia non foderunt sine magno precio. E Lydia pulsi metallici, venas auri in Thracia ad fluuiū Strymonem foderunt.

E fossili hodie optimum est in Europa, Pannonicum: ex eo, quod lauatur, Rhenanum. In Hispania tres aurum ferentes amnes, locis diuersis no